QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS EXAGITANDA IN SCHOLIS Medicorum die Iouis 20. Martij Clarissimo viro M. Michaële Marescot Medico Regio, Moderatore.

Licétne diebus Criticis vacuare?

NATVRA vt stirpibus & animalibus suas ætates constituit, sic morbis sua tempora: & vt grauiditatis, partus, vitæ, sic & earum, quæ in morbis contingunt, mutationum, statæ sunt & certæ periodi. Illa enim vitæ conseruatrix, & morborum medicatrix, eorum materiam coquit, secernit & excernit: si sensim, λύσις: sin repentè & subitò, κρίσις. Idq́ vel καὶ ἔκκρισιν, si sit vegetior & materia paratior: vel καὶ ἀπόθεσιν, si infirmior, & humor contumacior. Crisis verò vt perfecta sit, signis coctionis die θεωρητικῷ indicata esse debet, manifesta, fida, secura, morbo & naturæ ægri conueniens, & die critico fieri. Et quò pauciores ex his notas obtinet, eò imperfectior censenda est.

ETENIM ex his diebus, quos ad crisim morborum natura sibi destinauit, quidam sunt principes καὶ κύριαι ἡμέραι, absolutè κρίσιμοι, vt septimus, decimusquartus, vigesimus: Alij θεωρητικοὶ καὶ ἐπίδηλοι illorum indices: Alij προεμπίπτοντες, quibus crises, natura lacessita & irritata, imperfectæ fiunt. Criticorum verò & indicúm ratio, quaternario septenarióque numero definita, non à vi numerorum (qui nullam habent agendi vim) non ab vlla Arithmetica ratione, non à motu humoris melancholici, sed partim à syderibus, partim à naturæ vi & proprietate, quæ septenarijs illis circuitibus multa molitur, repetenda est.

ARS Medica non modò naturæ imitatrix, & adiutrix, sed ea superior, sæpe multò maiora quàm natura, & sine natura, efficit: humores præparat morbificos, incîdit lentos, tenuat crassos, inspissat tenues, & corpora reddit εὔροα. Deîn expurgat variis quidem instrumentis, sed maximè catharticis, cum delectu purgantibus (qualia nulla distillata nouimus) quæ noxios humores non contrarietate, non qualitate manifesta, sed totius substantiæ similitudine, proprios sibíque familiares trahunt, & è corpore excludunt: atque etiam phlebotomia, quæ venas & arterias, illis per ἀναστόμωσιν coniunctas, promptè faciléque deplet: quæ idcirco non modò febribus putridis, sed etiam malignis & pestilentibus mirificè confert, & in omnibus internis inflammationibus verè appellatur ἡγεμονικὸν τῆς θεραπείας.

ENIMVERO cacochymia cùm excrementorum, tùm eorum qui in venis continentur succorum, emendatur ἀλλοιωτικοῖς & exhauritur catharticis: quæ recepta veteríque forma præparata, multò securiora, naturæq́ nostræ magis amica sunt & ἀνάλογα, quàm ignea vi & arte chymica incinerata, extracta, separata, distillata, raro & cautè, à docto tantùm Medico vsurpanda. Phlebotomia verò, non plethora modò, sed & cacochymia tollitur, obstructiones citra plenitudinem vllam soluuntur, fluxiones etiam frigidæ inhibentur, dolorésque omnes etiam à pituita vitrea minuuntur, & humores non ad centrum reuocantur, sed ad circunferentiam corporis euocantur.

NATVRA et Ars Medica, sic in humani corporis salutem, et morborum depulsionem, amicè conspirant, vt illa diebus Criticis (qui ferè sunt impares) corpus vacuet et moueat; hæc diebus paribus, qui propterea Medici dicuntur: ita tamen vt si Crisis, non indicata, non expectetur, aut imperfecta sit, aut difficilis & periculosa, Medicus aut mouere (idq́ hora motus naturæ) aut eius motus adiuuare, & quò natura vergit ducere, Sudores diebus Criticis hidroticis excitare, hæmorrhagiam, quæ minus fida esse solet, secta in cubito vena, imitari, fluentem pigro vel laborioso motu aluum blando cathartico instigare, denique συνεκχυμωῦ debeat.

Ergo licet diebus Criticis vacuare.

Proponebat Hieronymus Taquet Parisinus. Anno 1597.